UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

Rvbricae Generales Missalis Pars Prima. Annotationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

Visual Library

RVBRICÆ GENERALES MISSALIS

PARS PRIMA.

MIſſa quotidie dicitur ſecundum ordinem Officij: de feſto Duplici, vel Semiduplici, vel Simplici: de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octaua: & extra ordinem Officij, votiua, vel pro Defunctis.

ANNOTATIONES.

§. 1. Circa hanc Rubricam aduerte, permiſſum eſſe omni die celebrare, exceptâ Feriâ ſextâ Hebdomadæ ſanctæ, quâ illicitum eſt ſacrificare. Quia Eccleſia colit, & exhibet realem paſsionem, & cruentum ſacrificium Chriſti ideo non repræſentat myſticè, ſeu non immolat incruentè: Siquidem Sacerdos in ſolemni officio Paraſceues non conſecrat, ſed hoſtiam pridie conſecratam & aſſeruatam, vnamque eius particulam vino iniectam ſumit. Neque licitum eſſe alios quam infirmos in articulo mortis conſtitutos eo die communicare, declarauit, die 19. *Februarij* 1622. S. Congregatio Cardinalium, qui ſacris ritibus interpretandis præſunt: teſte Gauanto.

c. Sabbato de conſecrat. diſt. 3.
Layman. theol. mor. lib. 5. tract. 5. c. 4. n. 7.
Gauantus comm. in Rubr. Miſſ. Part 4. Tit. 9. n. 25.

§. 2. Nota in Sabbato ſancto non niſi vnam Miſſam ſolemnem, quæ noctis eſt, nequaquam autem alias miſſas priuatas quantumuis votiuas celebrari poſſe, ſecundum probabiliorem ſententiam & receptam vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinem.

Layman loco cit. n. 8.
Gauantus loco cit. Tit. 10. n. 25.

§. 3. Controuerſia inter Doctores nata eſt; vtrum feriâ quintâ maioris Hebdomadæ licitum ſit ſacerdotibus priuatim ſacrificare; quidam id affirmant: alij rectiùs negant, ob receptam conſuetudinem celebrandi

c. in cœna de conſecrat. Diſt. 2.

Layman loco cit. n 9. Gauantus loco citato tit. 8. n. 7.

in vnaquaque Eccleſia vnum duntaxat ſacrum ſolemne, in quo omnes etiam presbyteri ſolent communicare ad præſentationem & memoriam Apoſtolorum, qui in Cœna vltima S. Euchariſtiam de manu Chriſti Domini ſumpſerunt. Sacra proinde Rituum Congregatio 27. Septemb. 1608. communionem Cleri iuſſit in ſolemni hac Miſſa. Quare hæc communicandi conſuetudo in Sacerdotum conuentu obſeruanda eſt. Communicent autem illo die Presbyteri cum ſtola de collo pendente.

TITULUS I.

De Duplici.

MIſſa dicitur de Duplici illis diebus, quibus in Kalendario ponitur hæc nota, *Duplex*, & in Feſtis mobilibus, quandocumque Officium eſt Duplex. In Duplicibus dicitur vna tantùm Oratio, niſi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur vt in proprijs Miſſis aſſignatum eſt. Quando dici debeat, *Gloria in excelſis*, & *Credo*, inferiùs ponitur in proprijs Rubricis.

ANNOTATIO.

Gauantus part. 1. tit. 4. n. 3 litt. O.

§. 1. Miſſa de Duplici, his gaudet priuilegijs. *Primò* quod in ea vna tantum dic tur Oratio niſi facienda ſit aliqua commemoratio de officio ſimul incidente. *Secundò*, quod Miſſæ priuatæ votiuæ, & pro Defunctis in Duplicibus dici non debeant, prout infrà Tit. 4. de Miſſis votiuis, & Defunctorum latiùs declarabitur. *Tertiò*, quod antiphona ad præparationem Miſſæ dicitur integrè ante pſalmos & ſimiliter poſt Miſſam antiphona ante gratiarum actionem tota.

TITVLVS II.

De Semiduplici, & Simplici.

MIſſa de Semiduplici dicitur quando in Kalendario ponitur hæc vox, *Semiduplex.*

Præ-